



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 54. Scipio Lancellotus Cardinalis mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI. rumque scientia conspicuum, erga omnes humanum, mansuetum, ac clementem, qui summa erga serenissimos Parentes suos reverentia, & integritatæ vitæ castimonia clarus canæ ætatis dignissimus fuisset, nisi cœlum Angelicum juvenem terræ invidens ad se traxisset.

§. LIV.

Scipio Lancelotus Cardinalis mortuus.

Ciac. tom. 4. p. 100.

Hujus piissimi Cardinalis obitum præcesserat mors Scipionis Lanceloti ex nobilissima Romanorum prosapia anno Christi millesimo quadringentesimo vigesimo septimo die vigesima secunda Novembris natus. Hic evoluto studiorum curriculo civilium rerum cognitione, & utriusque juris prudentia tantopere eminebat, ut nonnisi octodecim annos natus Bononiæ Doctoratus honores adipisceretur, porro dein eruditionis suæ fama Romam personante primo a Paulo III, secretioris Senatus advocatus, ac demum a reliquis summis Pontificibus ad gravissima Ecclesiæ negotia adhibebatur, & quidem a Pio IV. ad Mediolanensem, & Tridentinam Synodos, necnon ad Maximilianum II. Romanorum Regem, & Albertum Baviaræ Ducem, ut de hujus Concilii rebus cum illis

lis ageret, Legatus decernebatur: inde Sæcul. XVI.
A.C.1598.
 reversus Rotæ Romanæ accensebatur,
 postea vero a Pio V. rursus ad eundem
 Maximilianum, & Albertum Bavarizæ
 Ducem ablegatus Comitiis pro electio-
 ne Cæsaris interfuit, pariterque Grego-
 rii XIII. jussu Flavium Ursinum Cardi-
 nalem ad Carolum IX. Franciæ Regem
 comitabatur, ubi ubique mira suæ do-
 ctrinæ, prudentiæ, ac singularis in re-
 bus gerendis dexteritatis specimina e-
 debat, quapropter adstipulante tot me-
 ritorum suffragio ab eodem summo Pon-
 tifice Diaconus, & postea Presbyter Car-
 dinalis titulo sancti Simeonis anno re-
 stauratæ salutis millesimo quingentesi-
 mo octuagesimo tertio die duodecima
 Decembris renuntiabatur, & paulo post
 a Sixto V. audiendis ecclesiastici Ordini-
 nis negotiis præpositus Bononiam, & Fer-
 rariam mittebatur, ut lites de agrorum
 finibus inter Bononienses, & Ferrariæ
 Principes exortas componeret: anno au-
 tem post Christum natum millesimo quin-
 gentesimo octuagesimo quinto signandis
 Sedis Apostolicæ literis præfectus titu-
 lum sancti Salvatoris obtinuit. Inter-
 fuit etiam Comitiis, in quibus Sixtus V.
 Urbanus VII. Gregorius XIV. Innocen-
 tius IX. & Clemens VIII. summi Pon-
 tifices eligebantur: demum vero lethali
 morbo oppressus Romæ die quinta Ju-
 nii

Sæcul. XVI. A.C. 1598. mo nonagesimo octavo, ætatis vero sue septuagesimo primo vivis ereptus est: postero corpus ejus sepultum quiescit in quadam Basilicæ Lateranensis sacello, quod ipsemet sancto Francisco dicatum construxit, dotavitque.

§. LV.

Augustini Cusani Cardinalis mors.

Ciac. l. c. p. 192.

Paulo post Augustinus Cusanus eadem æternitatis viam aggrediebatur, qui nobilibus parentibus Alphonsi seu ut alii volunt, Aloysio Cusano, & Constantia Adda Mediolani progenitus ob ingenii sui excellentiam jam a puertitia totum sese literarum exercitationibus cum insigni profectu sacrabat, ac humanioribus literis Mediolani, Avenionæ autem, & Bononiæ sub Angeli Papii magisterio jurisprudentiæ operam navavit, adeo, ut Ticini ad Jurisconsultorum collegium adoptatus utriusque juris Professor renunciaretur: postea in patriam reversus, & in sancti Caroli Borromæi consortium accitus morum sanctitate præfulgebat; cum vero ob familiaris suæ negotia Romam contenderet, prospero sane fato in ædibus Beatæ Mariæ in Vallicella cum Francisco Maria Terusio, & Cæsare Baronio maximi nominis